

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput VI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-148122)

Caput VI.

HISTORIA GEDEONIS, Esa. 9. & à Davide, Psal. 83. et 72. n.
Paulo Ebr. 11. laudatur. Horum testimoniorum collatione adiuti, indi-
cationem locorum doctrinae, & reliquam præsentis historiae enarrationem, instituemus.

I. GEDEON, solo tubæ sonitu & lychno, in vasis testaceis ardente, Madianitas vincens : typus est veri Gedeonis, & ducis ecclesiæ suæ, Filij Dei Domini nostri Iesu Christi, maximos & sœuissimos generis humani hostes, peccatum, mortem, maledictionem legis, & totum diaboli regnum vincentis, & liberantis nos ab horum tyrannide, non alijs armis, quām sono tubæ seu voce euangelij, & lychno fidei à spiritu sancto accensæ, & lucentis in vasis testaceis, vt potentia sit Dei, & non ex nobis, 2. Corinth. 4. His armis vincimus diabolum, peccatum, mortē & omnes hostes ecclesiæ & animæ nostræ, Eph. 6. Esa. 9. Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius confregisti, sicut in die Madian. IUGUM oneris nominat Mortem & totam tristissimam molem miseriarum & calamitatum, toti generi humano ad ferendum impositam. οὐκ εἰνὶ ἐστιν δέοντος ὁδὸς εἰπεῖν ἔπος, οὐτε παθός, οὐτε ζύμης θεῖλαρος, οὐτε οὐ αραι ἄχθος αἰθέρωπων φύσις. Virga humeri est Peccatum, quæ nos ad iugum seu molem illam ferendam cogit. nam Aculeus mortis peccatum est, 1. Cor. 15. & per peccatum mors intravit in mundum, Rom. 5. Sceptrū exactoris LEX, potentia peccati, exigens interiorem & perfectā cordis obedientiam erga legem, & maledicens seu horrendam iram Dei ac æternas pœnas denuncians omnibus non seruantibus legem. Hoc iugum, virgam, & sceptrum confringit Gedeon noster vīctor & triumphator Iesus Christus, sicut Madianitas sono tubæ & lychno in vasis testaceis à se confractis gestato superauit. 1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati est, Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

II. Imago defensionis & conseruationis ecclesiæ omnium temporum, & pœnæ tyrannorum & aliorum hostium, in hoc mundo ecclesiæ oppugnandum : Quos exitum similem Oreb & Zebi, ac reliquo regum Madian manere, Psal. 83. hanc ipsam Gedeonis historiam ad locum communem mirandæ defensionis ecclesiæ, & interitus hostiū illius fœdi, omnibus mundi temporibus accommodans, ostendit. Fac illis sicut Midian. Pone principes omni sicut Oreb, & Zeb : & Zebee & Salmana, omnes principes eorum. Qui dixerunt, hereditate possideamus sanctuariū Dei. Deus meus pone illos ut rotam: & sicut stipulam ante facie venti. Sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes. Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos. Impel facies eorū ignominia: & quærerent nomē tuū Domine: Erubescat & conturbentur in seculū seculi, & confundantur & pereant. Et cognoscat, quia tu, & nomē tibi Iehoua: & tu solus altissim⁹ in omni terra.

III. VELLVS Gedeonis rore cœlesti madens, cum terra sicca maneret: & rursus siccum, cum reliqua terra gelido rore perfusa esset, Psal. 72. ad Christum, & euangelij rorem salutarem accommodatur. Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Christus enim verus Gedeon, vīctor peccati, mortis, inferni, descendens ad genus humanum de celo

cœlo per uterum virginis , vt ros in aurora , sine villa vllius hominis opera , sine contagio & sine virili semine nascitur , & Euangelion gratiæ & salutis æternæ spargit , quod mentes & corda hominum arefacta , & succo veræ iustitiae & vitæ destituta , velut ros & pluia aentes herbas & agros , recreat , reficit & fœcundat : & succo veræ agnitionis Dei , veræ fidei ac consolations per spiritum sanctum accensæ erigit & viuificat , seu iustitiæ & vita æterna donat , Psal. 119. Hæc est consolatio mea in afflictione mea , verbum tuum viuificat me. Esa. 55. Sicut descendit pluia de cœlo , & inebriat terram ; ita verbum meum non reuertetur ad me vacuum . Deuter. 32. Fluat vt ros eloquium meum , quasi imber super herbam , & quasi stillæ super gramina .

Visitare autem allegoria Velleris madentis & siccata , ad synagogam populi Iudaici accommodatur , quæ aliquot seculis sola euangelio gratiæ potita est , sola possessionem veræ de Deo doctrinæ & titulum populi Dei usurpauit : cum reliquæ gentes toto orbe terrarum , ignaræ Dei & Euangelij , seu roris cœlestis expertes , in tenebris & regione vinbræ mortis habitant . Postquam vero Apostoli in totum terrarum orbem euangelij flumina deriuarunt , Synagoga , Messiam suam , & euangelion ipsius contemnens , exiccatæ & abiecta est . Hanc allegoriam Ambrosius in proœmio libri de Spiritu sancto illustribus verbis euoluit . Ros in vellere , fides erat in Iudæa : quia sicut ros , Dei verba descendunt . Ergo quando totus orbis infructuoso æstu gentilis superstitionis arebat , tunc erat ros ille cœlestis visitationis in vellere . Postea vero quam oues quæ perierunt domus Israël (vnde puto figuram Iudaici velleris adumbratam) oues inquam illæ fontem aquæ viue negarunt , ros fidei humentis exaruit in pectoribus Iudæorum , meatusq; suos fons ille diuinus in corda gentium deriuauit . Inde est , quod nunc fidei rore totus orbis humescit . At vero Iudæi Prophetas suos & consiliarios perdiderunt . Nec mirum , si perfidiæ subeant siccitatem , quos Dominus Deus propheticæ imbris vberitate priuauit , dicens : Mandabo nubibus meis , ne pluant super vineam istam . Est enim Propheticæ nubis pluia salutaris . Hanc nobis scriptura diuinæ totius mundi pluiam pollicebantur , quæ rigaret orbem sub domini saluatoris aduentu spiritus rore diuini . Venit ergo iam Dominus , venit & pluia , venit Dominus stillicidia secum cœlestia deferens : & ideo iam nos bibimus , qui ante sitiebamus , & diuinum illum spiritum haustu interiore potamus . Hoc ergo præuidit sanctus Gedeon , quia verum & spiritale in rorem etiam gentes nationesq; erant fidei perceptione bibituræ , & ideo diligentius explorauit .

III. Exempla Heroicarum virtutum , quæ in uno Gedeone luxerunt plurimæ : 1. Fides in primis , Ebr. 11. celebrata , statuens Deum sibi placatum & propitium propter semen promissum , adesse , se à Deo diligiri , respici , exaudiri , & hanc militiam gratissimum Deo cultum esse , & à Deo iuxta ipsius promissionem iuuari : & fiducia gratiæ & à Deo promissi auxilijs , non propriarum virium , magno & excelsa animo , sine trepidatione & metu , pericula proposita aggrediens , & in Deo adquiescens . 2. Intellectus & amor doctrinæ cœlestis , quo accensus , destruere idola , & verum Dei cultum restituere ausus est . 3. Obedientia erga Deum , omnibus humanis rebus , vitæ , fainæ , paci publicæ , & benevolentia parentum ac ciuium , prælata . 4. Amor ecclesiæ . 5. Magnitudo animi orta ex fiducia præsentia Dei , quæ confirmatus , sumnum vitæ & fortunarum periculum , religio-

nis

Chyfus

nis emendandæ causa adire & sustinere non dubitauit. 6. Fortitudo in bello.
lo. 7. Patientia seu fortitudo togata. 8. Moderatio in perferendis amicorum
& ciuium iniurijs, & Ephraimitarum insolentia molli responsione franges.
da. 9. Iusta seueritas in puniendis contumacibus. 10. Modestia frenans ambi-
tionem, & recusans accipere regnum à populo delatum. Non dominabor
vestri, nec dominabitur vobis filius meus, sed dominabitur vobis dominus.
Hæc in vniuersam Gedconis historiam sparsa doctrinæ capita, ab Esaia &
Dauide & Paulo celebrata, initio breuissimè recensere volui. Nunc textum
sexti capituli ordine exponemus, & QVINDECIM alios doctrinæ utilissimus
locos, huius sexti capituli proprios, inter prælegendum breuiter pleroque
annotabimus: Vnum vero & alterum paulo copiosius euolucemus.

Fecerunt filij Israël malum)

I. De peccato, & poena peccati, exemplum regulæ primi præcepti: Eg-
sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem, seu PVNIENS PECC-
TVM, Iob. 9. Verébar omnia opera mea, sciens, quod non parcis delin-
quenti. μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας εἰσὶ καὶ τιμωρίαι ποιεῖται τὸ θεῖον. Cūm igitur
filij Israël ficerent malum, & se idolatria & alijs sceleribus contaminarent:
tradidit illos Dominus in manus Madian. Ita nos singulos malum co-
ram Domino facientes, & quotidie peccata peccatis cumulantes: à Domi-
no in nostrorum Madianitarum manus tradi & grauioribus subinde poenis
iusto Dei iudicio plecti statuamus. Agnoscentes igitur peccata nostra cum
Dauide & Mauricio Imperatore, hanc veram & ingenuam confessionem
edamus: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Tradidit illos in manu Madian) Madian, filius Abrahami & Cethuri
(Gen. 25.) stirps gentis Madian, quæ magnam Arabiæ Petreæ partem, &
prope montem Sinai non procul à mari rubro, & sursum ad orientalem ri-
pam maris mortui mixta Moabitis, tenuit. Num. 32.22.25. Exod. 2.3. vbi vi-
xor Mosis Madianitis nominatur, & Obab Madianita, Mosis affinis, pater G-
neorium fuit. מִן modius, mensura. *Feceruntq. sibi antra & speluncas)* תְּהוֹרֶת
Minharoth per antiphrasin, quod influentia lucis careant, à נַחַת ut apud lati-
nos lucus, quod non luceat, bellum, quod minimè bellum. תְּהוֹרֶת ab נַחַת
vacuauit, nudauit, locus vacuus. Quidam ita distinguunt, ut תְּהוֹרֶת specus,
sint in rupibus montium editioribus, in quæ per foramina quædam lumen
influat, à speciendo. תְּהוֹרֶת vero, sint cauernæ seu subterranea loca in cam-
pis, in quibus non homines degebant, sed fruges ac fructus, aliæq; res ali-
quantisper abscondi poterant. creberrima vero huiusmodi specum & an-
trorum mentio fit in Aethiopica Theagenis & Charicleæ historia, quæ He-
liodori nomine extat. *Munitissima ad repugnandum loca)* תְּהוֹרֶת Claustra, lo-
ca conclusa, aduersus prædonum & latronum impetus, primos tutæ, non ar-
ces, Babylonicae, Mediolanenses, aut Antuerpiensi similes. Cumq; se uisset Is-
raël, ascendebat Madian) Non perpetuae erant horum populorum impreff-
ones, sed cum facta semente fruges iam prouenissent, & grama in pascu-
adoleuissent: Madianitæ suis gregibus omnia depascebant. Erant autem in-
cursiones Madianitarum similes Tartarorum in Podolian & Volhinian ac
Russiam vicinam, aut Turcarum in Croatia & Vngariam anniuersarijs fecer-
t excusionibus, in quibus præter pecorum greges, multa hominum millia in
tristissimam seruitutem quotannis abducunt. *Vsq; ad introitum Gaza)* Do-
nec venias Gazam, in extremis finibus Iudææ ad littus maris mediterranei
sitam, de qua cap. I. diximus.

Hannib.

Humiliatus est Israël valde, & clamauit ad Dominum)

II. Causa finalis poenarum & calamitatum, non ut percamus, sed ut revertamur ad Dominum, & leuemus corda nostra vna cum manibus ad Dominum in cœlos. Esa. 26. Domine in tribulatione visitant te, in angustia clamant ad te. Niobe amissis liberis, præ magnitudine doloris obmutescit, ideo in saxum conuersa fingitur. Nos in ærumnis non muti simus, nec fremamus aduersus Deum, ut Hecuba, sed fiducia paternæ erga nos bonitatis ac misericordiæ Dei clamemus, & opem ac liberationem petamus.

Misit ad eos virum Prophetam)

III. Modus, per quem Deus peccatores in poenis ad se conuertit, & inde ac inuocationem in eis accedit, per ministerium verbi sonantis in ore doctorum diuinitus missorum, ut prædicent poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi. Rom. 10. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt, in quæ non crediderunt? Quomodo autem credent, de quo non audierunt? Quomodo audient absq; prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint, proinde fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Hoc modo Israëlitæ etiam ad inuocandum in ærumnis & calamitatibus suis Dominum adducti fuerunt, accensa in eis fide per prædicationem verbi Dei à Propheta seu doctore diuinitus misso factam. *Ne timeatis*) non colatis Deos Amorrhaeorum. Eccles. 12. Deum time & mandata eius obserua. Esa. 29. Timuerunt me mandatis & doctrinis hominum, quod Christus citat: Frustrâ colunt me mandatis hominum. Proverb. 1. Timor Domini caput sapientiæ.

IV. Concio POENITENTIAE per virum prophetam diuinitus missum habita, commemorans primum beneficia Dei, liberationem ex seruitute Aegyptiaca, defensionem aduersus omnes hostes, & possessionem terræ Canaan. Deinde, quid vicissim ab Israëlitis officij Deus pro his beneficijs exegerit, videlicet ut ipsum Iehoua solum verum Deum agnoscerent & colerent. Postremò grauissime populi ingratitudinem & inobedientiam accusat, quod verbo eius non crediderint nec obtemperarint. Non dubium autem est multo copiosius & pluribus verbis à Propheta hæc perorata, & doctrinam promissionis de gratia Dei & remissione peccatorum, agentibus poenitentiam propter semen Abrahæ benedictum donanda, adiunctam esse.

Venit autem Angelus Domini)

V. FILIUS DEI, quem paulo post Iehoua nominat, missus inde vsq; ab initio ad ecclesiam, ut arcanam voluntatē Dei de redemptione generis humani à peccato & morte, & alia consilia ad liberationes ecclesiæ corporales pertinentia, patefaceret. Hic angelus forma naturæ humanæ, quā postea assumpturus erat, induitus, Gedeonē quoq; allocutus est. *In Ephra*) Oppido tribus Manassæ יְהוּי puluis. *Ioas 1: 21* Iehoua fundauit, vel fundamentū Domini. *Patrem familiæ Ezri*) In Ebræo vna dictio est, יְהוּי אַבִּזְרָה Abiezerita, seu ortus de familia Abiezer, qui fuit filius Manasse, 1. Par. 7. Iof. 17. Significat autem Abiezer, pater meus auxiliator. *Cum Gedeon excuteret frumenta*) Quæ aliquin equorum aut boum vngulis triturari, vel flagellis, ut apud nos, excuti solebant, Gedeon baculis in torculari excutiebat, ut facilius lateret. *Vt fugeret Midian*) Ut frumentum excussum, in antro aut specu aliquo absconderet, priusquam a Midianitis diriperetur. *Dominus tecum*) Omnis salutatio est precatio, qua Deum oramus, ut illi bene sit cui salutem optamus. Est autem hæc salutandi forma antiquissima, quam in sa-

cris et-

Chyf

cris etiam ecclesia Christiana usurpat. *Virorum fortissime / Heroice bellato-*

Si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hac omnia. Nunc a-
tem deseruit nos Dominus)

V I . De Prouidentia Dei, amante & præmijs ornante bonos, & poenis;
 supplicijs afficiente malos : *Dubitaciones mentium humanarum, intuentiu-*
præsentes vitæ confusiones : in quibus scelerati sæpè florent & domina-
tur : Pij ab illis oppressi tristissimas miserias sustinent aut planè interfici-
tur. quas Claudianus in exordio inuectiæ contra Rufinū copiosè euoluit.

Sæpè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluenter mortalia casu?
Nam cum dispositi quæsisem fæder a mundi,
Præscriptosq; mari fines, anniq; meatus,
Et lucis noctisq; vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci :
Qui variam Phæben alieno iussit igne
Compleri, solemq; suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, letosq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios : rursus labefacta cadebat
Relligio, causæq; viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu,
Adfirmat, magnumq; nouas per inane figuræ
Fortuna, non arte regi, qua numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Rufini pæna tumultum,
Absolutq; Deus, iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror. Tolluntur in altum,
Vt lapsa grauiore ruant.

Euripides uno disticho locum hunc totum conficit, εἰδούσας δικαιολογίαν σύγε εὐθλῶν κυρήστες : εἰδεψη, τὶ διὰ πονεῖν. Quod Cicero in tertio de natura Deorum, uno versu à Telamone comprehensum expressit: Si sunt Dii, boni bene vt sit, malis male, quod nunc abest. Stauere autem nos de D e o & prouidentia, nō ex confusione euentuum, sed ex Verbo Dei necesse est, quod solutionem huius obiectionis, non à Gedeone solùm, sed omnibus mundi sapientibus de prouidentia usurpatæ, tradidit. Norma prouidentiæ Dei æterna & immota est, vt bonis bene sit, & malis male, & promissiones à Deo datae certò seruentur. Sed in hac vita plerunq; videmus impios potentia & opibus florere, pios in summis versari miserijs. Ergo non est prouidentia, sed Deus non curat genus humanum, non adest populo Israël. Respondeo ad Maiorē: Norma prouidentiæ & iustitiæ diuinæ est, vt pijs bene sit, impijs male, scilicet eo ordine & modo, quem diuina sapientia & iustitia in suo verbo sanciuit & expressit. Cum enim hæc vita breuis & inanis ymbra sit : Deus, ut illustrior sit ipsius iustitia, præcipuas poenas & præmia, nō vult res momentaneas & caducas, sed durabiles & æternas esse. Ideo præcipua præmia & poenas differt in illam æternam vitam: & hanc æternitatem vult omnes pios in-

tueri.

tueri, & fide petere & expectare æterna bona, & cauere, ne incident in æternam *Dei* iram & cruciatus nunquam desituros. Pijs igitur, et si in hac vita multiplices dolores & ærumnas, & mortem ipsam, non minus, quam impij sustinent, quia in ipsis quoq; hæret peccatum, quod *Deus* agnoscit & aboleri vult: tamen, fiducia benevolentiae, auxilij & liberationis diuinæ, propter Messiam redemptorem promissæ, se in hac vita sustentant, & certo expectant vitam, salutem & gloriam æternam, de qua resurrectio Filij *Dei*, & aliorum sanctorum & alia miracula in ecclesia testificantur. Promissiones vero *Dei*, certo veræ, ratæ, firmæ sunt, sicut sonant, & certo exhibentur bona, sicut promissa sunt fide amplectenti promissiones, Spiritualia ac æterna bona, certo & sineulla exceptione. Hæc est enim voluntas *Dei* æterna & immota, ut omnis, qui credit in filium, habeat vitam æternam. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio omnibus. *Corporalia* vero & liberationes ex ærumnis huius vitæ, additis conditionibus. Primum nostræ utilitatis & salutis, si nobis utile & salutare sit, ea tribui. Secundò, pœnæ impiorum & contumacium. Tertiò, castigationis piorum, ut interiorem immundiciem in ipsis reliquam agnoscant & emendent. Quarto, non præscribendi Deo certi temporis & modi, quo promissa bona præstare debeat. Judith. 8. Qui estis vos, qui tentatis Dominum, posuistis tempus miserationis Domino, & arbitrio vestro diem constituitis ei. Postremo non rapienda sunt bona, & liberationes corporales proprio consilio fine diuina vocatione, ut Israëlitæ quatuoruis duriter à Madianitis oppressi, non excutere iugum suo arbitrio, sed donec Gedeonem liberatorem *Deus* excitet, expectare debent.

Sæpè enim *Deus* differt exauditionem precum & liberationem, ut *Dei* præsentia & bonitas in mirandis liberationibus illustrius conspicatur, sicut mora ipsa, Gedeonis victoram conspectiorem reddit. Deinde, ut fides, invocatio, & spes piorum sub cruce exerceatur & ardentior fiat, & omnia diu desiderata, magis quam assidue percepta inveniant. Postea, ut exploret *Deus* constantiam nostram, an vera & seria, an vero simulata quietas sit? Ut doceat nos fide ab ipso pendere, nec nostris consilijs, sed ipsius sapientia & voluntate vitam regi debere. Ut tandem *Deus* tarditatem supplicij grauitate compensat: sic dilatas piorum liberationes & præmia, tum in hac vita cumulatius reddit, ut Israëlitæ Madianitarum tyrannide diu vexatis victoram omni expectatione maiorem, Gedeonis ductu, tribuit: tum postea æterno pondere gloriae in omni æternitate compensabit. Hæc explicatio maioris, doctrinam utilem & latissimam in omni piorum vita & veræ invocationis & consolacionis exercitijs patentē continet. nec tantum præsenti obiectioni de prouidentia, sed plurimis etiam alijs de exauditione precū concionibus luceat adfert.

Nunc ad minorem respondeo. Videmus in hac vita plerunq; impios potentia & opibus florere: Pios in summis versari miserijs, scilicet breui huius vitæ fugaciissimæ, & instar umbræ & somni euanscentis momento: sed iusti in omni æternitate viuent ac florebunt: Impij vero æternis supplicijs obruentur, & tamen certissimum est, mox etiam in hac vita sceleratos & improbos puniri, ut hoc loco Madianitarum tyrannis, totius fere gentis *warabrigæ* per Gedeonem punita est.

Quod vero adpios iniuste oppressos attinet, scimus certo & paterno *Dei* consilio magis exerceri ecclesiam in hac vita, quam cæteros impios. Quia *Deus* in ecclesia præcipue vult agnoscit & metui iram suam aduersus peccatum: & pios conformes fieri imaginis Filij *Dei* in cruce, ut postea cum

Q eo glo-

Chyf

eo glorificantur. Et tamen opem fert pijs etiam in huius vitæ afflictionibus & suo tempore eos liberat, quemadmodum hoc loco Israélitas, ut antea a mare rubrum Pharaone aquis obruto, Gedeonis ductu gloriose liberavit. Nec tamen in ipsis eos ærumnis Deus deseruit, vel procul ab eis, ut Iupiter Homericus in Aethiopiam recessit, ut Gedeon hoc loco, ex rationis humana iudicio, ratiocinatur: Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia, nunc autem deseruit nos Dominus. Verum ut sol, hyberno tempore, in perigæo, cum longissimum à nobis abesse videtur, tamen terræ proximus est: ita Christus sol iustitiae, nunquam propius pijs adfulget, quam cum in cruce prorsus eos deseruisse videtur. Psal. 34. Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Esaïæ 43. Meus es tu, cum transieris per aquas, Tene ero, & flumina non operient te. Esa. 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut vivificet corda contritorum. Psal. 91. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum, ut Saluatoris Iesu Christi conspectu, sapientia, iustitia, vita, & leticia fruatur in omni æternitate.

Respxit ad eum Dominus Iehova, Filius Dei, inde usq; ab initio ad ecclesiam missus, ut voluntatis diuinæ internuncius & interpres esset: quem ea de causa Angelum Iehovæ, patris æterni legatum nominauit: aparuit Gedeoni.

Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian. Ecce misi te.)

VII. *Vocationis* Gedeonis ad liberationem populi à Madianitis, & promissio roboris heroici, & auxilij diuini, & felicis successus à Deo donādi. De vocatione, & officijs vocationis recte & feliciter obeundis, Exod. 3.4. & Ioh. dictum est. *Ego ero tecum* non tua, sed diuina virtute & auxilio Madianitis vinces. *Percuties Madiam quasi virum unum* tam facile, ac si esset unus vir.

Da mihi signum, quod tu sis qui loqueris ad me.)

VIII. *Designis* seu miraculis, quæ sunt opera contra usitatum naturæ ordinem à Deo facta, ut sint signa seu testimonia diuinæ patefactionis certitudinis doctrinæ, & promissionum à Deo traditarum, & vocationis ministeria & functiones nouas & inusitatatas, quibus vocati confirmantur, & certi sint, sibi diuinitus munera illa obeuenda mandari, & auxilium ac successus salutares promitti. Petit autem Gedeon signum à Deo, non ex incredulitate aut dissidentia, cum Ebr. 11. fides Gedeonis heroica celebretur; sed fidem stabilitat & confirmet, sicut in ecclesia signis Sacramentorum ad confirmandam fidem utimur, nec veterem doctrinam à Deo traditam & miraculis Christi & Apostolorum confirmatam nouis miraculis à Deo sancti poscimus. Verum si quis nouam & inusitatam vocationem suam diuinam iactitaret, iuste miraculis immediatam vocationem ab eo demonstrari arbitratremus. Fuit autem signum seu miraculum Gedeoni exhibitum, ignis cœlitus demissus, qui carnes sacrificij Gedeonis, petræ impositas, inflammat & consumpsit, sicut in sacrificio primo summi sacerdotis, Leuit. 9. & Abrahæ, Genes. 15. & Abelis, Gen. 4. & post Gedeonis tempora, Davidis, 1. Par. 21. Salomonis in dedicatione templi, 2. Paral. 7. & Elias, 3. Reg. 18. ignis coelesti victimæ incensæ & consumptæ sunt. atque hinc cultum ignis sicut apud Persas, quem Orismada nominarunt, & apud Romanos custodiam ignis perpetui, per virgines Vestales, ortam esse, consentaneum est. Significat enim vesta, Græce ἡσια, Ebraice נְשָׁרִים ignem Domini. Quidius, Nec

alid

aliud Vestam nisi viuam intellige flammam. PETRA etiam Christi petræ spiritualis, quæ Israëlitæ in deserto comitata fuit, typus est, quæ vnicum & solidissimum æternæ salutis nostræ fundamentū est, ex quo progrediens ignis, omnia humanæ cōditionis peccata exurit, supra quā petrā, nos lapides viui fide extructi, hostias spirituales acceptas Deo per Christū offerimus, 1. Pct. 2.

*Nulla enim est grata D e o , nisi Christus filius , ara ,
Qui luit officio crimina nostra suo .
Huic impone manus , huic toto incumbito corde ,
Ad patrem nostras pereret ille preces .*

Vidi Angelum Domini facie ad faciem)

IX. Sicut Luna aliás pleno orbe fulget, aliás διχότομος est, aliás planè nihil lucis spargit: sic in animis piorum, perpetuae consolationum & paucorum vices sunt. ut Gedeon paulò ante confirmatus mirando igne sacrificiū illius absumente, cœlitus demisso, nunc ita consternatur, ut se moriturum esse cogitet, quia Exod. 33. dicitur: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Ut enim noctua fulgorem solis ferre nequeunt, ita homines in peccatorum tenebras immersi, Deum, qui est essentia lucidissima, omnem solis claritatem longissimè superans, cernere non possunt, priusquam à tenebris peccati liberentur. Dixi autem de visionibus, & de modis diuinarum reuelationum, quantum potui, Num. 12. Ut autem Iacob Patriarcha vidisse Dominum facie ad faciem dicitur, Gen. 32. ita Gedeonem hoc loco, Filium Dei inde vsq; ab initio missum ad ecclesiam, vidisse in ea specie seu forma naturæ humanæ, quam postea assumpturus erat, statuamus. Qua visione consternatus, noua consolatione à Iehova Filio Dei erigitur, pax tecum, noli timere, non morieris. Iustificati enim fide, pacem habemus apud D e v m.

Desfrues aram Baal)

X. EMBENDATIO RELIGIONIS, abolitio idolorum, & instauratio vere doctrinæ & verorum Dei cultuum à Gedeone suscepta, in qua, multæ insignes & admirandæ virtutes lucent: singularis lux & sapientia cœlestem doctrinam intelligens & amans: Heroica FIDES, non solum firmiter amplectens veram doctrinam & propagans, verum etiā magna fiducia in Deo sibi propitio & præsentē acquiescens, & sine villa trepidatione in summis etiam periculis Deo innitens: Zelus verae religionis ac gloriae Dei, & indignatio aduersus idola ardens: Obedientia erga Deum, prælata benevolentiae parentum, cognitorum, ciuium, famæ, vitæ, paci publicæ, & omnibus rebus humanis: Heroica magnitudo animi, nulla pericula, quæ grauissima mutantibus visitatas superstitiones proposita sunt, adire & sustinere religionis emendandæ cauſa recusans: Pietas erga patriam, ecclesiam Dei, cuius ciuem esse præcipua laus est: Deniq; prudentia fidei, non temere & inconsulto se periculis obijcens, sed media diuinitus ordinata & concessa eligens: adhibet socios laborum, μιᾶς τὸ χειρὸς ἀδενὸς μάχην, & occasionem seu tempus rei perficiendæ opportunum & commodissimum nocte obseruat. Haec & similes virtutes, in Constantino Magno luxerunt, qui legibus cultum idolorum ethnicorum prohibuit, & capitalem poenam aduersus immolantes idolis sanciuit. Theodosius etiam tempora idolorum euertit, & solo æquari iussit, ne restitui facile, ut sub Iuliano acciderat, sacrificia ethnica possent.

Tolle taurum patris tui.) Non quemuis, sed secundum (seu in secundo

Q 2 præsepi)

Chyf

præsepi) septem annos iam ad sacrificium Baalis saginatum, vt apud Agyptios Apis aliquot annos ali solebat. Aram BAAL) de quo cap. 2. diximus
Produc filium tuum huc , ut moriatur)

XI. Pertinacia vulgi, & regum multorum, qui superstitione fascinati, a cerbissimis odijs & supplicijs, taxantes idola & vñitas persuasions impas, persequuntur. Nunquid vñtores es̄tis Baal) IOAS patrem Gedeonis, appetet magistratū oppidi Ephra, & pietate ac meritis grauem, singulari autoritate apud suos ciues fuisse, cū ipsius oratione animi ciuium antea furenum mitigati, patrocinium idoli Baal remittant. Est autem summa orationis IOAS comprehensa dilemmata: Si Baal est Deus, vindicare se ipse de eo, quia ram eius suffodit, potenti & diuina manu poterit: nec opus est, vt vos pro eo pugnetis. Si autē non est Deus, impium sit, cultum Deo debitum ipsi trubere & cumularetis scelus, si Gedeonē idoli, ppugnandi causa trucidaret. Qui aduersarius est eius) Qui litigat pro Baal, qui patrocinium idololatrii cultus Baalis deinceps suscepit, & seditionē Baalis causa mouerit, morietur antequā dies crastina illucescat. יְהוָה qui litigabit p̄ eo, scilicet Baale noster interpres יְהוָה reddidit, cōtra eum, qui litigauerit contra Baal, qui aduersarius est Baalis: morietur antequā lux crastina veniet, scilicet interficit. te eū Baale, & diuinitatis suæ gloriā vindicāte, si est verus Deus. Si vero non est verus Deus, cur patrocinii manifestæ idololatriæ suspiciens? Hierobaal לְוַיַּה, Ierubbaal, id est, litiget Baal cū eo, qui diruit arā eius, à בְּנֵי litigauit & לְוַיַּה. In valle Iezraēl) In finibus tribus Manasse & Isaschar, in qua Achab rex Israēl postea aulæ sedē habuit, 3. Reg. 18. 21. לְוַיַּה, Iezraēl, semen Dei.

Spiritus Domini induit Gedeon)

XII. Fortitudine Heroica: tanquam veste vel πανθήριον, qua munitus & armatus, res magnas & toti ecclesiae ac reipublicae salutares feliciter gerere, Psal. 18. Deus præcinxit me virtute, Deus docet manus meas ad prælinum, & brachia mea, vt arcum æreum confringam, Deus dat vindictas mihi & subdit populos sub me, liberator meus de inimicis meis, &c. Domum Abiezar nepotis Manasse, 1. Par. 7. יְהוָה pater meus, auxiliator.

Manasse secutus est eum)

XIII. Autoritas tribus partibus constat. Eximia virtute & prudentia Inclinatione animorum diuinitus facta in populo, vt recte monentibus & ducentibus obtemperet. Felicibus in vocatione successibus. Proverb. 20. vi oculus videat, & auris audiat. Dominus facit vtrumq;, Ut Gedeon excella virtute & sapientia, & tribus Manasse, Aser, Zabulon, hunc ducē sequantur, eiusq; consilijs & mandatis sponte obtemperent: vtrumq; Dei beneficium & donum est, πάθω μου ἐποίησε, καὶ τύχη δρασῆσθαι, inquit Aeschylus.

Ponam hoc vellus in area)

XIV. An liceat signum à Deo petere. Respondeo, cū noua & inusitata vocatio & mandatum, sacris literis non expreſsum, homini pio proponitur, qui metuens, ne à Satana in angelū lucis transformato decipiatur, de voluntate Dei certior esse cupit, & obedire Deo vocanti non recusat: is iuste & pie à Deo petere signū potest, vel suæ vocationis confirmandæ, vt Gedeon, vel liberationis ex periculo humanis cōſilijs inextricabili impenetranda causa, vt Moses ad mare rubrum, & in deserto: vel alioquin ad testimonium de vero Deo & doctrina ferendum, vt Elias, Eliseus. Econtra Deum tentant, qui non credentes verbo Dei, nec acquiescentes in promissionibus aut ordinationibus & mandatis diuinis, expresso Dei verbo sanctis, noua signa petunt;

petunt, qualia ipsis placent, ut Pharisei, Matth. 12. neglectis signis à Christo editis, talia signa petunt, ut expulsis Romanis traderet ipsis regnum, eosq; opibus & voluptatib. cumularet. Et Herodes ex curiositate à Christo signa expectat, quibus se instar ludicrorum oblectaret. Et diues epulo Lucæ 16. ex dissidētia & neglectu verbi reuelati, aliquem ex mortuis mitti ad fratres suos petens, audit: *Habent Mosen & prophetas illos audiant.* Neq; enim de doctrina, mandatis, promissionibus, expresso verbo diuinitus patefactis, & per miracula confirmatis, noua signa, ex curiositate, aut contemptu verbi patefacti à Deo petenda: sed doctrinæ in sacris literis traditæ magis, quam vllis miraculis credendum est.

Si ros in solo vellere) γαν τι Gizza hazemer, vellus lanosum, à τι vello, cuello. Nam ante tonsuræ vsum veteres lanam fortasse vellebant.

XV. Cùm Filij Dei Domini nostri Iesu Christi incarnatio, passio, officium ac beneficia in hoc Gedeonis vellere adumbrata sint: et si paulò ante allegoriam initio capitil recitaui; tamen de insigni hoc & celebri typo quædam ex sequentibus testimonij extructa repetam. Esa. 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Psal. 110. Ex vtero auroræ tibi vt ros generatio tua. Psal. 72. Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillecia stillantia super terram. Filius enim Dei Dominus & redemptor noster Iesus Christus, Angelus testamenti & pacis æternæ, descendit ad redimendum genus humanum de coelo, instar roris, ad aurorā de coelo cadentis, in vellus ouis seu agni, hoc est, assumit nostrā pellem seu naturā humanam, & fit agnus seu victima expians & tollens peccata mundi. Hoc vellus solum cœlesti rore madet, plenum gratia & veritate propria & alijs cōmunicanda, ex cuius plenitudine nos omnes, gratiam, hoc est, gratuitam remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam accipimus pro gratia, in qua ipse vt filius unigenitus est apud æternum patrem, Iohann. 1. Ephes. 1. ἐχαρίτωσεν ἡμῖν ὁ τόπος γενησέντος. Reliqua vero terra vniuersa (totum genus humanum in peccatum & morte lapsum) nihil vitalis humoris & succi cœlestis habet, sed tota arida & maledicta, & instar lignorum aridorum igni æterno destinata est, solum vero hoc vellus, viuifico & cœlesti rore madens, viridis & secunda arbor vitae est omnibus fidei insertis & implantatis.

Quod autem altera vice vellus siccum & aridum manet, reliquam vero totam terram ros cœlestis largiter humectat: Passio & mors Domini nostri Iesu Christi significatur, in qua sustinens iram Dei aduersus omnia totius generis humani peccata, velut fœnum exiccatur & exarescit tanquam testa virtus eius, & in puluere mortis collocatur, Psal. 22. 31. 38. 102. Sed rorū sum & succum vitae æternæ, per prædicationem euangelij ab Apostolis factā, toto orbe terrarum spargit, & mentes ac corda hominum, luce veræ agnitionis Dei & succo veræ iustitiae ac vitae destituta & arefacta, suauiter reficit, consolatur, & viuificat, vt ros arentes & languentes herbas erigit & recreat. Ex hoc rore cœlesti, seu verbo diuinitus sparso, & missō spiritu sancto, nascitur & propagatur populus Dei seu ecclesia ex omnibus gentibus collecta: Ioh. 1. Qui non ex sanguinibus, &c. sed ex Deo nati sunt. Ideo ad hanc generationē ecclesiæ seu populi ex verbo & Spiritu sancto nati, versum Psalmi centesimi decimi (non ad nativitatem Christi ex virginē) quidam accommodant, ex vtero auroræ tibi (vt) ros (ita) generatio seu pueritia tua. Sicut ros ex vtero aurore spargitur, ita ex rore Euangelij, mentes & corda hominum rigante, nascuntur pueri, seu filii, seu populus Dei. Oſcæ 6. Ut ros

auroræ progreditur, & venit sicut pluuiia tempestiuia. Psal. 102. Populus qui creabitur, laudabit Dominum. Deut. 32. Fluat vt ros eloquium meum.

Vt autem Gedeon lychnos in vasis testaceis ardentes gestat, quibus frumentis, latè toti campi noctū collucent & illustrantur: ita Christo testa in cruce exarescente, & vase perditō (Psal. 31.) seu fracto & mortuo: Lux Euangelij in totū terrarū orbē tristissima nocte ignoratiōnis Dei, peccati & mortis oppressum, clarissima diffunditur & effulget: & tuba verbi diuini in omnibus gentib. exauditur, & ex ore & clamore infantū & lactentiū p̄fligantur & destrūuntur inimici & hostes ecclesiæ (Psal. 8.) Quæ etiā si exiguus & imbecillus coetus est, tñ verum Gedeonē & Imp. populi Dei Domini Zebaoth fide inuocans, & panē vitæ æternæ in cinerib. tostū Iesum Christū fide agnoscens & celebrans, vincit mundū & oēs portas inferorū, & ex captiuitate Madianitarū seu potentissimorū hostiū Diaboli, mortis, peccati, maledictionis legis & dānationis æternæ liberatur, sicut supra ex Esa. 9. breuiter docuimus.

Quod autē Gedeon expresso vellere conchā seu lancē aut peluim aqua impleuit: id Ambrosius p̄lix concione ad Christū, fusa in peluim aqua pedes discipulorū lauantē accommodat, qui solus fordes peccatorū in omnib. harentes abluere potuit. & paulò post, est & quædā aqua, quam mittamus in peluim animæ nostræ, aqua de vellere in libro Iudicū, aqua de libro Psalmorum, aqua est ros cœlestis oraculi. Veniat igitur Domine Iesu hæc aqua in meam animā, in meam carnē, vt huius humorem pluuiæ, nostrarū conualles mentiū, atq; intimi cordis arua viridescant. Veniat in me stillicidia tua, gratiam immortalitatemq; rorantia. Dilue gressus mentis meæ, ne iterum peccā-

Caput VII.

MINET & clivit in tota Iudicū historia, Gedeonis Duci Israēl litarum victoria de Medianitis miranda, quam trecentis tantum militibus, sola tuba, & lychno in hydrijs testaceis latente armatis, toti ecclesiæ populi Israēl maxime salutarem & gloriosam peperit. Quæ mago & pictura illustris victoriæ veri Gedeonis & seruatoris ecclesiæ Filii Dei Iesu Christi, de toto regno Diaboli, peccato, morte, inferno partæ, & liberationis ab omnibus hostibus ecclesiæ & animæ nostræ, & restitutionis iustitiæ ac vitæ æternæ, ab Esaia & Paulo illustratur. Nota enim est insignis Esaiae concio cap. 9. Iugum oneris cius (mortem) & virgin humeri eius (peccatum) & sceptrum exactoris (legis videlicet) superasti, sicut in die Median, non gladijs & machinis æncis, sed tuba seu voce Euangelij & lychno fidei à Spiritu sancto accensæ & lucentis in vasis cordium nostrorum testaceis, vt potentia Dei in nostra infirmitate conspectior sit. sicut in hanc Esaiae concessionem velut digitum intendens, Paulus eam interpretatur, 1. Cor. 15. Absorpta est mors (iugum oneris totius generis humani) in victoria. Vbi est, ô mors, aculeus tuus? Vbi tua, ô inferne, victoria? Aculeus enim mortis (virga aculeata confodiens & interficiens nos) peccatum est. Potentia autem peccati (magnitudinem & atrocitatem & horrendam Dei iram & maledictionem denuncians) est lex exigens perfectam obedientiam vel presenti & æterna morte puniens. Deo autē gratia, qui dedit nobis victoria per Dominum nostrum Iesum Christum, à quo vero Gedeone cùm victoria

hæc